



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

6. De vniuersali Logico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

esse singularis, quia per singularitatem fieret incommunicabilis. Probatur antecedens, quia ex eo quod natura humana est risibilis, non potest fieri, ut per aduentum alicuius, siue per se, siue per accidens aduenientis, reddatur hinnibilis, quia hinnibilitas opponitur risibilitati: & in hoc fundatur illud, quod dicit Scotus, nimirum quod quodcumque aliquid per se primo, aut secundo modo dicendi competit alicui, eius oppositum nullo modo possit competere ipsi.

Respondeo, concedendo antecedens, & negando consequentiam cum sua probatione, neque enim per singularitatem ipsa natura secundum se redditur singularis, ut possit de ipsa secundum se dici, quod sit singularis proprie loquendo; sicut enim natura diuina secundum se non fit persona, nec incommunicabilis ex coniunctione cum paternitate diuina, quæ facit cum natura diuina aliquid quod est persona & incommunicabile; sed non obstante coniunctione naturæ cum paternitate incommunicabili, adhuc natura diuina est communicabilis; ita natura humana secundum se non fit singularis, nec redditur incommunicabilis ex coniunctione eius cum Petreitate, quæ facit cum illa natura, aliquid singulare & incommunicabile; sed non obstante coniunctione eius cum illa singularitate manebit communicabilis.

67 *Dices*: Petreitas debet dare aliquem effectum formalem naturæ quam afficit & singularizat, non alium quam reddere ipsam incommunicabilem, ergo facit ipsam incommunicabilem, & consequenter non valet responsio data.

Respondeo, singularitatem non debere dare magis aliquem effectum formalem naturæ humanæ, verbi gratia, quæ paternitas diuina debet dare aliquem effectum formalem naturæ diuinæ, nec singularitas debet potius dare naturæ humanæ pro effectum formalem incommunicabilitatem, quam illa paternitas naturæ diuinæ: sed certum est paternitatem non dare naturæ diuinæ incommunicabilitatem pro effectum formalem, ergo nec singularitas debet dare incommunicabilitatem pro effectum formalem naturæ create.

Et si quæras, quem ergo effectum tribuit ipsi. *Respondeo*, quod non tribuit ipsi alium effectum formalem, quam facere cum ipso indiuiduum, quod indiuiduum quæ tale formaliter sit incommunicabile: sicut nec paternitas tribuit alium effectum formalem essentia diuinæ, quam constituere cum ipsa personam improductam, quæ sit incommunicabilis. Ex his habetur quod natura vniuersalis non distinguitur realiter ab indiuiduis, & quod consequenter nullus gradus metaphysicus repertus in re aliqua distinguitur ab aliis gradibus, qui reperiuntur in eadē re, ut verbi gratia, in homine animalitas à rationalitate, nec à risibilitate. An autem natura vniuersalis distinguitur formaliter à singularitate, & gradus alij metaphysici à se inuicem, patebit ex dicendis in Metaphysica, disputatione de distinctionibus, in qua parte affirmatiuam resoluemus.

QVÆSTIO VI.

De Vniuersali Logico.

CONCLUSIO I.

68 *Vniuersale logicum bene describitur esse unum aptum predicari de multis.* Ita communis omnium sententia cum Philosopho 1. Perib. c. 5. & patet explicando singulas particulas.

Per unum intelligitur id quod intelligebatur per unum in definitione vniuersalis metaphysici. Per aptum intelligitur potestatem proxima: per predicari intelligitur prædicatio vera formalis & directa. Per de multis intelliguntur multa illa, quibus cum sui multiplicatione inexistit.

Ex quibus patet Vniuersale logicum debere esse aliquid reale positium, per se vnum, habens potentiam proximam, ut possit prædicari verè & formaliter de pluribus, quibus cum sui multiplicatione inexistit. sicut autem diximus quod vniuersale metaphysicum est concretum dicens duo, vnum materialiter, nimirum rem illam, quæ dicitur vniuersalis, & aliud formaliter nimirum ipsam vnitatem & aptitudinem, quæ constituitur in esse vniuersalis: ita etiam de Vniuersali logico sentiendum est, quod dicat duo, vnum materialiter, nimirum

ipsum Vniuersale metaphysicum, & alterum formaliter, nimirum illud, quod constituit & facit illud vniuersale logicum; & in hoc fere omnes conveniunt, & qui id negaret, excitaret tantum quæstionem de nomine, à qua semper, quantum fieri potest, cavendum est, quia non potest conducere ad cognitionem rerum in se.

69 Conveniunt præterea omnes quod Vniuersale logicum constituatur, & fiat per actum aliquem intellectus, sed controuertitur per quem actum. Pro quo advertendum duplicem admitti intellectum ab auctoribus, siue inter se realiter distinguantur, siue solū formaliter, unus vocatur intellectus agens, cuius munus est producere speciem intelligibilem impressam, quæ species cum intellectu concurrat ad producendam cognitionem obiecti (de quo tamen tyrones hic non debent esse solliciti, donec perueniant ad libros de anima) Alter intellectus vocatur patiens seu passibilis, cuius munus est cognoscere res.

Advertendum vltius utrumque hunc intellectum dici abstrahere naturas vniuersales ab inferioribus; intellectus enim agens dum producit speciem impressam, naturam præsentare naturam, secundum se, non representando aliquid singulare, dicitur eo ipso abstrahere illam naturam à singularibus; nec aliud intelligitur per abstractionem naturæ factam ab intellectu agente, quam productio huiusmodi speciei intelligibilis impressæ representatiuæ naturæ, & non singularium. Intellectus verò passibilis, seu patiens dicitur abstrahere naturam à singularibus eo ipso, quo intelligit naturam, ut natura est, non intelligendo ipsam in singularibus, quomodo vix dubium esse potest, quin ipsam quandoque intelligat; id enim videtur propria experientia constare cuiuslibet. Præter huiusmodi autem abstractionem & abstractionem potest intellectus cognoscere naturam in singularibus, & hoc duobus modis: primò per apprehensionem, solummodo apprehendendo naturam inexistentem singularibus, nec tamen iudicando quod sit in illis; sicut apprehendimus aliquam propositionem, verbi gratia totum distingui realiter à partibus, non iudicando quod distinguatur, vel non distinguatur: alio modo per iudiciū, positiuè iudicando quod natura sit in singularibus illis. Vtraque autem hæc cognitio naturæ in singularibus est comparatiua quia est cognitio vnius cum ordine ad aliud, nimirum naturæ cum inexistētia & identitate eius in suis inferioribus: sed prima vocatur comparatio simplex, & pertinet ad primam operationem intellectus, cuius est apprehendere res absq; iudicio: Secunda cognitio ad differentiam primæ vocatur cōposita & iudicatiua, quia fit cum iudicio, seu potius est iudiciū: & si habeatur absq; discursu, spectat ad secundam operationem intellectus, si cum discursu, spectabit ad tertiam operationem. His suppositis, quæ perfectius intelligentur post auditū tractatū de anima.

70 *Prima sententia* est, Vniuersale logicum fieri per abstractionem intellectus agentis, hoc est per productionem speciei impressæ representatiuæ solius naturæ absque interuentu vllius cognitionis intellectualis; & dico intellectualis, quia absque cognitione aliqua sensitiua nequit produci per intellectum aliqua species pro hoc statu propter dependentiam intellectus in operationibus suis à sensibus. Hanc tenet Scotus quæst. 3. Vniuersal. Fland. 3. Metaph. quæst. 3. fauet Sanctus Thom. 1. p. quæst. 85. art. 1. Fons 5. Met. cap. 28. quæst. 6. Massec. 2. q. 5. Sanctius quæst. 34.

Secunda sententia est fieri Vniuersale logicum per abstractionem intellectus passibilis, hoc est per illam cognitionem, qua intellectus intelligit naturam secundum se, non intellectus inferioribus. Hæc est Dur. 1. dist. 3. q. 5. Tolet. q. 2. Vniuersal. fauetque D. Thom. 1. part. q. 85. art. 2. qui consequenter tenere debet Vniuersale non fieri per actum comparatiuum intellectus, seu per cognitionem comparatiuam siue simplicem, consistentem in apprehensione naturæ in pluribus; siue cōpositā, consistentem in iudicio, quo iudicatur naturam inexistere pluribus.

Tertia sententia est naturam fieri Vniuersale per actum intellectus passibilis, non tamen per actum, qui est abstractio naturæ, ut tenuit præcedēs sententia, sed per actum

Natura vniuersalis abstrahitur à singularibus per intellectum & agentem passibilem.

Dupliciter comparatur natura ad singularia.

comparatiuum compositum, hoc est per iudicium quo iudicatur natura inexistere pluribus.

Quarta denique sententia est fieri hoc vniuersale per cognitionem comparatiuum simplicem intellectus passibilis, illam scilicet, per quam intellectus apprehendit naturam in multis absque iudicio. Hanc sequuntur Scotista omnes cum Doctore 2. dist. 3. q. 1. licet ibi expresse eam non proponat, estque frequentior inter Thomistas, testibus Complutensibus supra n. 54. qui eam expresse tenent num. 59. sicut & Rubius quest. 5. Ioannes à Sancto Thoma quest. 4. art. 2.

CONCLUSIO II.

Natura non fit vniuersalis logicè per vllam abstractionem.

71 *Natura non fit vniuersalis formaliter per abstractionem, aut intellectus agentis aut passibilis.* Hæc est communior contra authores primæ & secundæ sententiæ. Probatur scilicet conclusio à Scotistis multis, quia natura non fit vniuersalis logicè, nisi fiat proximè prædicabilis de multis: sed per neutram ex his abstractionibus, aut intellectus passibilis, aut agentis fit proximè prædicabilis de multis: ergo per neutram ex illis fit vniuersalis. Probatur maior, quia per aptitudinem positam in definitione vniuersalis intelligitur aptitudo proxima ad prædicandum; ergo non potest esse vniuersalis, nisi sit proximè prædicabilis. Probatur etiam minor, quia, quamuis intellectus consideraret naturam, vt abstractâ illis abstractionibus, nisi consideraret illam præterea vt inexistente actu aut possibiliter pluribus, non posset ipsam prædicare de pluribus, vt est euident: ergo non est proximè prædicabilis de pluribus per illas abstractiones, antequam adueniat illa consideratio, qua consideraretur vt inexistens actu, aut possibiliter pluribus.

72 *Contra hanc rationem facit primo, quod gratis supponatur in descriptione vniuersalis, per aptitudinem prædicandi debere intelligi aptitudinem proximam, seu prædicabilitatem proximam; quemadmodum enim, quando describitur albedo esse disgregatiua visus, non intelligitur quod sit proximè disgregatiua visus, sed non esset disgregatiua, sed haberet esse disgregatiua formaliter ab applicatione ad potentiam visiuam capax disgregationis, quia non posset disgregare proximè absque tali applicatione: ita quando dicitur quod natura vniuersalis logicè sit prædicabilis de multis, non debet intelligi hoc de prædicabilitate proxima.*

Confirmatur, quia aliam prædicabilitatem recipit natura vniuersalis ab intellectu, quam non recipit ab eo essentia diuina, & illa prædicabilitas specialis est sufficiens ad vniuersalitatem: sed illa prædicabilitas particularis, non est illa prædicabilitas proxima, quæ dependet & habetur ab apprehensione naturæ in pluribus: ergo malè dicitur prædicabilitas naturæ vniuersalis logicè consistere in illa prædicabilitate. Probatur minor, quia etiâ natura diuina habet ab intellectu considerate illam in pluribus prædicabilitatem proximam de pluribus, neque enim magis posset ab intellectu prædicari de pluribus, nisi consideraretur in pluribus, quam natura vniuersalis.

73 *Est dicatur colligi quod prædicabilitas naturæ vniuersalis debet esse proxima ex eo, quod remota non sufficiat, quandoquidem remota prædicabilitas habeatur à parte rei; vniuersale autem logicum non habetur à parte rei, sed fit per intellectum.*

Respondetur posset in primis, si prædicabilitas remota & unitas haberetur à parte rei, securum, quod vniuersale logicum daretur à parte rei; nec vnum magis esse absurdum quam alterum, & hoc posse esse fundamentum pro illis, qui vellet admittere vniuersale logicum à parte rei,

Quomodo Vniuersale logicum debet esse in potentia proxima ad prædicabilitatem.

quorum sententia, si non posset alio modo impugnari, quam dicendo quod nihil à parte rei, vt habet esse à parte rei, possit esse proximè prædicabile, quandoquid ad proximam prædicabilitatem requiratur vt consideretur res prædicabilis vt inexistens pluribus, profecto satis debili fundamento, & gratissimè supposito reiceretur.

74 *Respondetur etiam posset secundo, supponendo cum communi sententia quod Vniuersale logicum non habeatur à parte rei, non quancunque prædicabilitatem remotam sufficere pro Vniuersalitate logica, sed prædicabili-*

tem sine impedimento singularitatis; nullam autem talem esse in vlla natura à parte rei; quod quidem omnis natura à parte rei sit coniuncta cū singularitate: & sanè hoc videtur mihi esse intem. Doctoris supra in secundo: quamuis enim dicat ibi quod Vniuersale debeat esse in potentia proxima vt possit prædicari de multis prædicatione dicente, hoc est hoc tamen hoc sine dubio intelligit de potentia proxima ex parte ipsius naturæ, ita scilicet vt natura non habeat annexum impedimentum singularitatis, per quam determinatur ad vnum, requirit enim potentiam proximam prædicabilitatis in natura de pluribus cum multiplicatione, qualem non habet natura diuina singularis respectu prædicabilitatis de pluribus sine sui multiplicatione: sed prædicabilitas, quam habet natura diuina est se tenens ex parte rei, ita scilicet, vt non sit ex parte eius impedimentum, quo minus prædicetur de pluribus, quauis non possit prædicari de pluribus absque consideratione eius in pluribus: ergo prædicabilitas, quæ debet esse in natura Vniuersali, debet esse ex parte naturæ, quantum ad hoc quod non ponatur impedimentum ex parte naturæ, quo minus prædicetur de pluribus, & non debet esse illa prædicabilitas proxima, quæ oritur ex eo quod adueniat ista consideratio naturæ in pluribus, quamuis sine illa consideratione nequeat prædicari de pluribus: sicut nec essentia diuina etiam potest prædicari de pluribus, nisi consideretur in pluribus, & sicut ignis nequit calefacere, nisi applicetur; quamuis per applicationem non constituitur formaliter in esse calefactui.

75 *Nihilominus, sequendo communionem Scotistarum & Thomistarum sententiam dicendum est probationem conclusionis valere ex hypothese communi, quod per Vniuersale logicum intelligatur natura proximè prædicabilis de multis: pro qua communi acceptione sufficit auctores instituisse hanc vocem vniuersalis logici ad significandam naturam sic proximè prædicabilem. Addendum tamen in gratiam primæ & secundæ sententiæ, quæ mihi videntur probabiles propter replicem præmissam; & maxime secunda sententia, quod authores, qui eas tenent, non tenerent ipsas, si intelligerent per Vniuersale logicum aliquid sic proximè prædicabile, vnde in re videtur esse hic controuersia de nomine.*

Obiicitur contra conclusionem: natura per vtramque abstractionem est denudata à singularitatibus, ergo per illas abstractiones fit vniuersalis logicè, quia nihil requiritur vt sit talis, nisi vt sic denudetur.

Confirmatur, quia natura per quancunque ex illis abstractionibus abstracta, est prædicabilis de pluribus ex se, quandoquidem non habet impedimentum singularitatis: ergo est vniuersalis logicè.

Respondetur negando consequentiam, quia requiritur vt sit proximè prædicabilis; hoc autem non habet ab vlla ex illis abstractionibus, neque ab vtraque simul.

Ad confirmationem, distinguo antecedens: proximè, nego; quia requiritur, vt prædicetur, consideratio eius in pluribus, sine qua non potest prædicari; remotè, concedo antecedens, & nego consequentiam, quia remota non sufficit, quandoquidem ex communi sensu vniuersale logicum debeat esse proximè prædicabile.

CONCLUSIO III.

76 *Natura non fit vniuersalis logicè per comparationem compositam seu indicatiuam, qua alia prædicatur de multis.* Hæc est contra tertiam sententiam. Probatur, quia ante talem comparationem, seu prædicationem natura est proximè prædicabilis: ergo ante illam est vniuersalis logicè. Probatur antecedens, quia aliàs non posset sic prædicari. Probatur consequentia, quia per illud fit vniuersalis logicè, per quod fit proximè prædicabilis.

Obiicitur quinque species vniuersalis consistunt in naturis prædicatis de suis inferioribus: ergo natura vniuersalis vt sic, consistit in natura prædicata de inferioribus. Probatur antecedens, quia definiuntur per prædicari, & non per prædicabile; dicitur enim quod genus sit illud, quod prædicatur de pluribus specie differetibus, & quod species

Natura non fit vniuersalis logicè per comparationem iudicatiuam.

species sit illud, quod prædicatur de pluribus numero differentibus &c. ergo &c.

Respondetur negando antecedens, & distinguendo eius probationem: definiuntur seu describuntur per prædicari actu, nego: per prædicari potentia seu aptitudine, quod conuenit cum prædicabilitate, concedo antecedens, & nego consequentiam. Itaque quando dicitur, quod genus sit illud, quod prædicatur de pluribus, hoc debet sic intelligi, ac si diceretur quod genus sit illud, quod aptitudine prædicatur, hoc est, quod potest prædicari.

Et si queratur unde colligatur hæc expositio? Respondetur illam colligi ex definitione vniuersalis vt sic, quæ datur per prædicabile, & non per prædicatur: definitiones autem specierum debent esse conformes definitioni generis seu superioris, quantum ad rationem communem.

CONCLUSIO IV.

77. Natura sit vniuersalis logicè per actum, quo apprehenditur inexistere multis sine iudicio. Hæc est iuxta auctores quartæ sententiæ contra reliquas sententias. Probatur, quia per talem actum, & non ante, fit in potentia proxima, vt prædicetur de pluribus: ergo per talem actum fit vniuersalis logicè. Probatur antecedens, quia non potest intellectus prædicare aliquid vere de pluribus, nisi apprehendat illud esse in pluribus; & statim ac apprehendit illud esse in pluribus, potest illud prædicare de illis: ergo per talem actum & non ante, natura sit proxime prædicabilis.

Confirmatur, quia non est maior ratio eür intellectus naturam humanam abstractam à singularibus prædicaret de Petro, quam de Bucephalo, nisi quia apprehendit ipsam in Petro, & non in Bucephalo: ergo, vt prædicet debet sic apprehendere, & consequenter non erit proxime prædicabilis, nisi sic apprehendat.

Obiicitur: secundum Scotum natura sit vniuersalis logicè per comparisonem intellectus: ergo non fit vniuersalis per apprehensionem.

Respondetur, Doctorem loqui de comparatione simplicis, quæ nihil aliud est, quam apprehensio vnius in alio: non vero de comparatione iudicativa: unde nego consequentiam.

Ex his habetur secundam intentionem, quam formaliter dicit vniuersale logicum, esse apprehensionem naturæ in pluribus, secundum quod denominat illam naturam sic apprehensam, & consequenter illam apprehensionem in concreto definiri per se in definitione vniuersalis logici, vt postea melius apparebit.

QVÆSTIO VII.

De Prædicatione.

79. Quia explicuimus vniuersale logicum per prædicabilitatem, & hoc nequit intelligi, nisi intelligatur prædicatio, quæ est actus prædicabilitatis, ad quæ prædicabilitas dicit ordinem; consultum videbatur, antequam ulterius progrediamur, aliqua hic de prædicatione proponere, idque breuiter & quantum fieri potest absque controuersis, quia alia vix potest esse quam de nomine.

Itaque supponendum primò prædicationem nihil aliud esse quam actum intellectus, quo aliquid de alio iudicat, vt cū dicitur: *homo est animal; Petrus est albus*; unde aliquid esse prædicatum de alio actu, non est aliud formaliter, quam denominatio extrinseca desumpta ab huiusmodi iudicio: vt communior & mihi verior sententia tenet, vel relatio rationis resultans in re prædicata ad tale iudicium, de quo parum est curandum, vter dicendi modus sit verior: quantum autem ad ipsam veritatem nostra sententia ex dictis de ente rationis constat.

80. Supponendum secundò prædicationem veram & affirmatiuam, de qua sola hic agimus, adæquate diuidi in formalem & identicam. *Prædicatio identica* explicatur ab aliquibus esse illa, quæ idem de seipso prædicatur, vt cū dicitur: *homo est homo; Petrus est Petrus*; sed non est bona hæc explicatio, quamuis enim bene verum sit, quod omnis talis prædicatio sit identica; tamen datur aliqua identica, quæ non est talis, præsertim in sententia Scoti, nam hæc est identica & vera: *Miser cordia diuina est in iustitia*

diuina; neque enim est formalis, quia alias esset formaliter vera: secundum autem Scotum est tantum identice veritas deinde secundum auctores communiter hæc est prædicatio identica: *album est dulce*; & tamen idem non prædicabitur de se in illa. Itaque explicanda est propositio identice esse illa, vel quæ idem prædicatur de se ipso; vel quæ aliquid prædicatur de alio, quod non habet se per modum formæ ipsius sue essentialis, siue accidentalis: & hinc est, quod hæc prædicatio vocetur identica: album est dulce, quia dulcedo prædicatur de albo vere, quadoquidē vere coniungatur cū ipso & concipiatur vt coniuncta, non tamē se habet per modum formæ ipsius dulcedinis, sed per modum formæ subiecti quod afficitur dulcedine. Quod si placet vnica descriptione non distinctiua explicare prædicationem identicam, dicatur esse illa, quæ aliquid prædicatur de aliquo, quod non includitur in ipso per modum formæ vllius: hæc enim explicatio comprehendit etiā illam quæ idem prædicatur de se ipso, neque enim prædicatur de se vere vt forma sui ipsius, vt patet.

81. *Prædicatio formalis* est illa, quæ aliquid prædicatur de aliquo per modum formæ, vt quando dicitur: *Petrus est homo; homo est animal; paries est albus*; tunc autem prædicatur aliquid per modum formæ, quando prædicatur per modum alicuius prædicati essentialis aut intrinseci, hoc est per se primo competentis rei, vel per modum alicuius proprietatis aut accidentis recepti in illa re, siue immediate, vt cum dicitur: *substantia est quantitas*; siue mediate, hoc est mediante aliquo alio quod in illa recipitur, vt cū dicitur, substantia est alba: siue etiam denominatis ipsa extrinsece, vt cū dicitur: *paries est cognatus, aut visus*. Hæc autem prædicatio formalis subdiuidi solet in prædicationem directam, & indirectam. Prædicatio directa dicitur illa, quæ quod aptius est prædicari prædicatur; indirecta quæ prædicatur quod minus est aptum: illud autem censetur magis aptum prædicari, quod habet se per modum superioris seu magis communis; aut quod est forma siue essentialis, siue accidentalis, respectu illius, de quo prædicatur, unde hæc erunt prædicationes formales directæ: *homo est animal; homo est albus; homo est risibilis*; hæc autem indirectæ: *risibilis est homo; animal est homo; album est paries*.

82. Dubitari autem posset, an hæc prædicatio sit directa, animal est rationale: sed existimo non esse, quia loquendo de animali, vt sic, quod significatur per animal in illa propositione, falsum est, quod sit rationale; alias enim omne animal esset rationale. Similiter dubitari posset, an hæc sit prædicatio formalis: *aliquid animal est homo*, aut hæc *aliquid animal est rationale*: & tenendum est, quod sic, quia homo & rationalitas est quid superius ad aliquid animal singulare, unde bene possunt de tali animali prædicari directe.

Quod si aliquis alio modo explicaret prædicationes has, aut alio modo de iis discurreret, non esset multum eius contendendum, quia quæstio esset de nomine: sed dum tractaretur de re, conueniendum potius cum ipso esset in sua conceptione, vt res ipsa examinaretur, quod semper in quæstionibus de nomine consultissime fieret.

83. Modo restat examinandum quomodo concreta & abstracta de se inuicem prædicantur. Pro quo aduertendum concretum terminum, si capiatur vocaliter, esse vocem aliquam, quæ significat rem per modum adiacentis alicui, seu quæ significat rem, per modum habentis aliam rem, vt v. g. vox *album*, quæ significat albedinem per modum adiacentis alicui, seu aliquid per modum habentis albedinem, idem enim est album, ac habens albedinem, seu albedo, vt adiacens alicui. Si vero accipiat concretum pro re, & non pro voce, non est aliud, quam ipsa res, prout significatur per vocem concretam.

Abstractum, si capiatur pro voce, est vox aliqua, quæ significat rem non per modum adiacentis alicui, vt vox *album*, quæ significat albedinem secundum se absque ordine ad aliud, cui adiaceret: si vero capiatur pro re, erit res significata per talem vocem, vt significatur per illam, hoc est, secundum se considerata absque adiacentia ad aliud.

83. Assignatur autem ab authoribus duplex concretum, & duplex abstractum ipsi correspondens, vnum substantiuum,

Quid prædicatio formalis. Quomodo prædicatur aliquid per modum formæ.

Prædicatio formalis directa quid sit. Quid indirecta.

Rationalitas non prædicatur de animali directe.

Quomodo concreta & abstracta de se inuicem prædicantur.

Quid concretum. Quid abstractum.

Quid est prædicatio.

Quid sit prædicatio identica.